



**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Secvnda Controversia. De veritate conclusionis: An scilicet illæ omnes &
solæ sint notiones diuinarum personarum, quas hic enumerat S. Th.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82303)

autem vna quævis alia perfectio, quæ non sit operatio, de alia prædicatur in Deo, sumitur prædicatum substantiue, & fit sensus identicus: ac proinde vera est propositio, vt hæc, intellectus est voluntas, & alia similes. Si verò diuinæ perfectiones sumantur vt nomine attributi significata, de inuicem prædicari nō possunt: sic enim significantur in actu exercito, vt rationes omnino distinctæ; & propositiones habent sensum formalem; sicut hæc, attributum scientiæ est attributum potentiæ, falsa est, ob dictam causam. Nam, vt obseruat S. D. loco superius allegato, nomen attributi est nomen secundæ impositionis, & est commune omnibus diuinis perfectionibus, sub ea ratione, qua sunt attributa consideratis: & ideo diuiditur ratio communis attributi differentijs per se, in attributum scientiæ, potentiæ &c. & quia singula per se differentia, singulis attributorum nominibus formaliter significantur: idcirco dicendo, attributum scientiæ & attributum potentiæ, significo distinctionem eorum in actu exercito: sicut etiam cum dico, notio paternitatis & notio spirationis; & ideo, cū enunciat vnum de alio, prædicata sumuntur formaliter, & reddunt falsas propositiones.

Conclusio-
nes deduc-
tæ, & proba-
tæ.

PRIMA CONCL. Quæ significantur, vt distincta formaliter in actu exercito, non prædicantur de inuicem in diuinis.

SECUNDA CONCL. Relationes diuinæ in abstracto significata, nō prædicantur de inuicem, quia significantur in actu exercito, vt rationes formaliter distinctæ personarum.

TERTIA CONCL. Diuinæ perfectiones nō significantur nominibus proprijs, vt distinctæ formaliter: & ideo possunt vt plurimū de inuicem prædicari.

QUARTA CONCL. Diuinæ perfectiones sub nomine attributi, non prædicantur de inuicem, sicut nec diuinæ relationes sub nomine notionis.

Ob. 1. cōt. 2.
concl.

CONTRA secundam concl. arg. Mol. Primò. Secundum sententiam D. Th. & veritatem, paternitas & spiratio actiua nec re, nec ratione formali distinguuntur inter se, sed tantum virtute; Ergo hæc in sensu formali erit concedenda, paternitas est spiratio actiua; sicut hæc duæ sunt concedendæ, paternitas est essentia, voluntas est intellectus. Resp. primò cum Caiet. paternitatem & spirationem, etsi non distinguantur à parte rei nisi virtualiter; quatenus tamen à nobis concipiuntur, distinctionem habent, vt significantur tanquam rationes distinctæ personarum in actu exercito. Secundò respondetur paternitatem & spirationem distingui, non tantū virtualiter sed etiam actualiter & formaliter: non in esse rei, sed in esse relationis, vt supra latè probauimus.

Replica.

Sed contra hanc respons. potest afferri tale argumentum ex Molina. Intellectus est quo Deus intelligit & nō quo vult: voluntas verò est id quo vult & non quo intelligit, & tamen hæc est vera, intellectus est voluntas in Deo; Ergo etiam si paternitati conueniat vt sit respectus ad filium, & spirationi actiue conueniat vt sit respectus ad Spiritum sanctum, vt virtute distinguitur à paternitate, nihilominus hæc erit vera paternitas est spiratio. Resp. nullam esse consequ. primò, quia nomina intellectus & voluntatis in Deo non significant perfectiones illas, vt distinctas ab inuicem in actu exercito; sicut nomina paternitatis & spirationis significant diuinæ relationes, vt ita distinctas. Secundò dico paternitatem & spirationem actu distingui in esse relationis: intellectus autē & voluntas nō distinguuntur actu in esse suo absoluto.

Solut.

A Secundò vtitur argumēto Scoti, quod hic assertum & soluitur à Caiet. ex doctrina superius explicata.

SECUNDA CONTROVERSIA.

De veritate conclusionis: An scilicet illa omnes & sola sint notiones diuinarum personarum, quas hic enumerat S. Th.

QVAMVIS præcipue sit hic nobis cum Scoti sensus quæ de inspirabilitate cōtrouersia, an scilicet qui nario communiter à patribus admissio notionum numero sit addenda; complectimur tamen eadē forma quæsi dubitationes de quibusdam ex dicto numero superius recensitis (hæc verò sunt innascibilitas & spiratio) & de pluribus alijs, in eodem numero minimè comprehensis, sed quædam cum illis affinitate gaudentibus; vt imago, verbum, donum, esse ab alio, non esse principium alicuius personæ, quod conuenit Spiritui sancto; generare, generari, spirare, producere, produci & similia.

SCOTVS in 1. diff. 28. q. 1. ad 3. argum. ait se non videre, cur inspirabilitas non sit notio filij, vel etiam simul patris & filij; quemadmodum spiratio communis est vtrique notio. Eandem sententiam, paulò fidentius sequitur & tuetur Rada cōtrouersia 25. a. 3. & explicat tribus conclusionibus. Prima est. Opinio asserens in diuinis esse sex notiones, est in fide tutissima. Secunda. Nullus sanctorum patrum antiquorum dixit esse quinque notiones. Tertia. Doctor subtilis non tenet absolute inspirabilitatem esse sextam notionem, sed cum moderamine, vt putat si non assignetur aliqua bona ratio, ob quam cogamur dicere eam non esse notionem. In eadem verò cōtrou. a. 2. loquens de innascibili siue ingenito, cuius abstractum scilicet innascibilitas propria est notio patris, duo dicit. Primum. Negatio per hoc nomen ingentum importata supponit in prima persona aliquam entitatem positiuam, in qua fundetur & ratione cuius sit propria eius. Secundum. Hæc entitas positua est paternitas, non sub ratione paternitatis, sed sub ratione entitatis hypostatice primæ; hæc verò est entitas singularis incommunicabilis prima, indifferens ad absolutum & respectiuum.

Vatquez disp. 137. quamuis in conclusione conueniat cum D. Th. rationes tamen, quas hic assertum Caiet. & post eum alij, partim impugnatur, & partim contemnit. Et eodem modo procedit etiam aduersus rationes, quas assignant Durand. Torres & alij recentiores: suam verò sententiam aperit duobus dictis. Primum est. Ratio ob quam innascibilitas sit notio, etiā si negatione significetur, est quia licet formaliter & expresse significet negationem & id quod pater non est: materialiter tamen & directe significat positiuam aliquam dignitatem personæ, modum scilicet aliquem subsistendi illius in quo dignitas aliqua modo nostro intelligendi apparet, & per negationem à nobis cognoscitur. Secundum eius dictū est. Significatū positiuū huius vocis innascibilitas est paternitas sub peculiari conceptu primæ originis & principij. In disp. verò 159. c. 5. ait personā patris priusquā generet non apprehendi sub conceptu patris, sed sub conceptu innascibilis & secundum ad producendū: & intelligi vt constitutā ex essentia & proprietate seu notione innascibilis & secundum ad producendū; & addit, tunc concipi personā primā sub ratione cuiusdam formæ hypostatice, quā nos nomine aliquo quidditatiuo scilicet ingenti aut secundum ad producendū, non denominatiuo quale est forma hypostatice, magis exprimimus.

Barth.

Barth. Torres dicit quatuor. *Primum* est. Quia A de ratione notionis est ut significetur per nomen abstractum, & huiusmodi; Theologi Doctores & sancti non inuenerunt plura nomina abstracta ad notiones significandas, quam quinque, simpliciter fatemur esse quinque notiones & non plures. *Secundum*. Sancti Patres ideo plura nomina abstracta notionum non instituerunt, quoniam plura non erant eis necessaria, ad significandas personarum distinctiones aduersus hereticos, ad formales loquutiones. *Tertium*. Concedimus plures rationes, affirmationes & negationes in Deo esse, ad quas exprimendas, si sancti plura nomina abstracta imposuissent, ingenue fateremur plures notiones esse, quam quinque; sed quoniam fas nobis non est nouum nomen inducere in diuinis, contra Doctorum auctoritatem & Sanctorum, neque enim id fieri potest sine temeritate & erroris periculo, idcirco quinque tantum in diuinis notiones confitemur. *Quartum*. Innascibilitas est pura negatio. Eandem sententiam sequitur ad verbum Zumel. *diff. 1.*

Cai. cum D. Th. negat praedictis quinque notionibus aliam adiungi posse, ob eam causam, quod illa sufficienter continent omnem modum, quo possunt innotescere diuinae personae, ut nullus alius ab eis verè & proprie distinctus formaliter in ratione innotescere valeat excogitari. De innascibilitate verò specialiter affirmat A. D. *infra q. 33. a. 4. & ibidem* Cai. priuationem esse, aut in genere principij personaliter dicti, aut diuinæ rei; hic autem dicitur innascibilitas esse negatio, quod in idèredit; cū omnis priuatio sit negatio. Eandem sententiam & Cai. doctrinam in hoc articulo sequuntur alij S. D. interpretes ut Sylu. Iauellus, Bannes, Zum. Mol. Valen. Suar. lib. 5. c. 9. & 10. Pefant. & Ripa *super hoc a.*

Resolutio.
Ex conditionibus & distinctione notionis ostenditur, esse tantum notiones.
Tres conditiones notiones.

Diffinitio
notionis explicata.

PRINCIPIUM inuestigandæ veritatis ac solvendæ difficultatis in qualibet re proposita, ex ipsius rei de qua discuritur quidditate proprietatibus ac naturalibus conditionibus petendum est. Affirmat autem S. D. *in 1. diff. 26. q. 2. a. 3.* tria necessariò requiri, ut aliquid dicatur notio diuinæ personæ; *primum* ut ad originem pertineat, quia relationibus originis personæ distinguuntur; *secundum* ut pertineat ad dignitatem; eò quod persona sit hypostatis distincta proprietate ad dignitatem pertinente; *tertium*, ut aliquid speciale significet; quia commune non est sufficiens principium innotescendi; Ex quibus talis potest constitui diffinitio. *Notio est ratio propria siue specialis cognoscendi diuinam personam ad eius originem & dignitatem pertineans.*

Per primam partem, scilicet ratio cognoscendi diuinam personam, significatur notionem esse formale principium, illudque præcipuum cognoscendi; ac proinde quamlibet notionem abstractè significandam ac per modum formæ; Ex quo sequitur, notionales actus ut generare & generari aut generatio, spirare & spirari aut spiratio prout est actio inter notiones minime computentur; quoniam ut ait Torres ex D. Tho. *inf. q. 49. a. 2.* prius ac principalius distinguuntur diuinæ personæ per relationes, quam per origines; nec origines alia ratione dicuntur actus notionales, nisi quia notiones implicant, ut generatio paternitatem, & natiuitas filiationem; imò solo differunt ab eis modo significandi, ut docet A. D. *inf. q. 41. a. 1.* significantur enim actus notionales ad modum operationum à personis, & ad personas procedentium, ut generare & spirare; aut etiam ad modum passionis, ut generari & spirari. Relatio-

ones autem, ut paternitas & filiatio significantur ut formæ personarum constitutivæ: atque ideo propriæ ac præcipue sunt rationes cognoscendi, & notiones appellantur; actus verò notionales non item.

Secunda particula est, *propria siue specialis*, quæ *Cur esse ab* duas implicat conditiones; *prior* est, ut notio non *alio non sit* sit aliquid commune pluribus personis secundum rationem, sicut processio siue esse ab alio, commune est filio, & spiritui sancto communitate rationis; hoc enim, quod est ab alio esse, non dicit vnā aliquam realem proprietatem filio & spiritui sancto communem: sicut relatio generationis communis est secundum rem patri & filio, quæ cognoscuntur & distinguuntur, ut vnus spirator à Spiritu S. Quod etiam dicendum est de inspirabilitate, quæ secundum rationem tantum communis est patri & filio & ideo non est *cur non sit* notio. *Posterior* conditio est ut notio sit ratio qualibet alia ratione cognoscendi distincta. Quod fit ut rationes illæ quæ ad vnū formale pertinent principium cognoscendi, pro vna sint tantum notione cõputandæ; sicut paulò ante diximus de relationibus & actibus notionalibus. Quod *Cur verbè* idem affirmandum est de rationibus verbi, & imaginis respectu filij, quibus eadem significatur *Cur imaginè* omnino ratio cognoscendi; Filius enim in diuinis, ut supra diximus *q. 27.* procedit per modum imaginis & verbi; & ex hoc ipso, quod procedit ut imago & verbum secundum perfectissimam per se verbi differentiam, procedit ut simile in natura & consequenter ut filius. Itaque nomine filij magis expressè significatur diuina persona per actum intellectus in Deo procedens, quam nomine verbi, quo similitudo dumtaxat intellectualis videtur exprimi: ac proinde nomen filiationis in natura intellectuali infinita rationem maximè propriam personæ per actum intellectus procedentis constitutivā & distinctivā significat, & implicat excellenter rationem imaginis & verbi. His addenominæ verbi & imaginis abstracta non esse sed concreta, & ob hanc causam à numero notionum excludi. Idem censendum est de denominationibus amoris & doni respectu spiritus sancti: hæc enim concretè significantur nec aliam denotant relationem siue formam aut rationem cognoscendi, quam sit ea quæ processionis nomine, prout proprietates est spiritus sancti constitutivæ, principaliter significatur. Aliam rationem reddit S. Tho. *in 1. diff. 27. q. 1. a. 1.* quam infra posuimus in probatione secundæ conclusionis.

Tertia particula est, *ad eius originem*, quæ intelligenda est de origine tam positiva quam negatiua, propter innascibilitatem, cui ut statim dicemus, inter negationes soli conueniunt omnes prædictæ diffinitionis particule.

Postrema particula est, *ad eius dignitatem* pertineans, cuius explicatio petenda est ex *q. 29. a. 3. ad 2. & q. 42. a. 4. ad 2.* In his .n. locis duo dicit S. D. Primum est: Nomen personæ in diuinis significare maximam dignitatem, quæ est subsistere in diuina natura. Secundum est: Paternitatem esse dignitatem Patris sicut est essentia Patris; quoniam dignitas est absoluta & ad essentiam pertinet. Ex quo deducit S. D. *in dicto a. 4.* quod sicut eadem essentia, quæ in patre est paternitas, in filio est filiatio: ita eadem dignitas quæ in patre est paternitas, in filio est filiatio; & concludens ait: *Verè ergo dicitur, quod, quicquid dignitatis habet Pater, habet Filius; nec sequitur, paternitatem habet Pater; ergo paternitatem habet Filius; mutatur enim quid, in aliquid; eadem enim est essentia & dignitas.*

Gnitas Patris, & Filij, sed in patre est secundum relatio- nem dantis, in Filio secundum relationem accipientis. Hæc D. Th. Igitur notiones ea ratione pertinent ad dignitatem, qua pertinent ad personam, & idem sunt cum essentia. Et de positiuis quidem notionibus satis constat ex dictis, quomodo pertineant ad dignitatem.

Offenditur
condiciones
diffinitio-
ne notionis
innascibili-
tatis cogne-
re

IAM VERO de innascibilitate, quæ negatio formaliter est, quomodo congruant illi singulæ prædictæ diffinitionis particulæ dicendum est.

Secundò itaq; notandū est ex Cai. negationes modorū originis inter notiones non esse regulariter computandas. Primò quia notio est innoscendi causa, ex priuatione verò non cognoscitur haberi; neq; per negationē affirmatio; sed è contra, cognoscitur priuatio per habitū, & ex affirmatione negatio. Secundò, quia notio rationem significat ad dignitatem pertinentem, negatio verò per se nullam denotat dignitatem. Quod si talis fuerit negatio, quæ respectu talis personæ cui conuenit, aliquas designet condiciones ad dignitatem pertinentes, & sit nobis ratio diuinam illam personam cognoscendi, prout ab alijs est distincta, meritò cæteris erit notionibus annumeranda: inter negationes autem diuinis personis conuenientes sola est innascibilitas, cui prædicta conueniunt. Ad cuius euidenciam.

Ingenitum
quinque mo-
di dicitur
in diuinis.

Tertio sciendum est innascibilitatem, quæ ponitur propria notio patris, idem esse quod ingenitum, quod est proprium patris, vt ait S. D. q. seq. a. vlt. Nomen autem ingeniti quinque modis accipi potest in diuinis. Primò, vt idem est quod increatum; & ita nomen est essentiale tribus commune personis; Quo sensu Damasc. hoc vtitur vocabulo libro 1. orthod. fidei, c. 9. & Ambr. lib. de Dominica incarnationis sacramento cap. 8. & 9. in eodem sensu negat solum patrem esse ingenitum, id est, increatum. Secundò sumitur ingenitum prout idem est quod non genitum, siue non filius vt inquit August. in 5. de Trim. c. 7. & sic sumitur negatiuè, vt negat generationem passiuam propriè dictam: & sic conuenit non tantum Patri sed etiam Spiritui sancto & essentia. Vnde Hieron. à Magistro relatus in 1. dist. 14. ait Spiritum S. esse ingenitum, id est, non genitum. Tertio sumitur ingenitum priuatiuè, vt scilicet importat negationem generationis propriè sumptæ in genere diuini suppositi, prout scilicet aliquod suppositum diuinæ naturæ non est genitum, cuius tamen naturæ aliquod suppositum est genitum; sicut talpa dicitur cæca, quia quædam animalia eiusdem generis nata sunt videre, quamuis ipsa visu careat: & hoc modo conuenit Patri & Spiritui sancto esse ingenitum, non autem essentia, quia ipsa non est suppositum. Quarto accipitur nomen ingeniti priuatiuè in genere principij personaliter dicti, & ita conuenit soli patri. Nam Spiritus sanctus etsi non sit genitus, non tamen est principium personaliter dictum; cum nulla sit ab eo persona. Denique sumi potest ingenitum latius, vt negat omnem modum originis, vt idem sit ingenitum, quod non ab alio siue per generationem siue per spirationem: & in hoc sensu proprium est patris. Sic enim inquit S. Th. infra q. seq. a. 4. ad 2. Nec conuenit Spiritui sancto, qui est ab alio per processionem, vt persona subsistens: nec etiam diuinæ essentia concretæ, vel abstractæ sumptæ, quam affirmare possumus esse in Filio, vel in Spiritu sancto, ab alio scilicet à patre communicatam. Quomodo verò ingenitum priuatiuè sumptum non dicat imperfectionem, explicat infra D. Th. in d. a. 4. ad 2.

Ex dictis sequitur primò nomen innascibilitatis, aut ingeniti nihil ponere, aut significare formaliter, aut materialiter positium, quod sit de proprio eius intellectu: licet aliquid ponat aut connotet vt ei præsuppositum, vt ait S. Th. in 1. dist. 28. q. 1. a. 1. ad 1. vbi sic ait: Aligua dictio dicitur ponere dupliciter aliquid: vel ita, vt illud quod ponit sit de intellectu eius sicut aliquid essentia ipsius, vt homo ponit animal; vel quia præsupponit illud in quo fundatur, quamuis non sit de essentia eius: sicut omne accedens ponit substantiam: dico ergo, quod hoc nomen ingenitus non ponit aliquid, quod constituat intellectum ipsius, quia hoc nõ posset esse, nisi aliqua rationem principij poneret, vel in communi, vel in speciali; quia nihil aliud notionale potest Patri conuenire: & quocumque modo dicatur, non ponit in numerum innascibilitas cum paternitate: quia commune non ponit in numerum cum proprio, sed tantum ponit aliquid, quod præsupponit in quo fundatur. Sed quamuis nihil ponat, quod sit de intellectu eius, non tamen sequitur, quin possit esse notio; quia illud cuius ratio consistit in remotione, optimè per negationem certificatur, sicut cæcitas; & huiusmodi est ratio primi, vel eius quod est non de principio esse: quia principium est, ante quod nihil est. Hæc D. Tho.

Secundò sequitur negationem, seu priuationem vocabulo ingeniti aut innascibilitatis significatam fundari in ratione principij, secundum quod est notio patris, hæc verò est paternitas & vniuersalis autoritas seu fontalis plenitudo, vt bene ait Capreolus in 1. dist. 28. q. 1. quæ quoniam ad dignitatem pertinet, & optimè notificatur negatione formaliter significata per hanc vocem innascibilitas, ideo dicitur etiam innascibilitas patris ad eius dignitatem pertinere, & eiusdem asseritur notio: de cuius ratione non est, vt dignitatem significet posituè, sed satis est vt eam expressè quouis modo notificet.

Postremò considerandum est innascibilitatem, præter communem regulam negationum & priuationum, fuisse positam à Patribus & Scholasticis notionem Patris, ob singulares quasdam rationes huic soli negationi congruentes. Sunt autem quinque. Prima habetur ex vltimo artic. seq. quæst. in corpore, & ad primum, quam hic assignat Cai. quia nimirum sola persona Patris in Trinitate rationem habet primi principij, quod à nullo principio est; prima verò & simplicia per negationes optimè notificantur, vt ait S. D. supra relatus: dicimus enim punctum esse cuius pars non est.

Secunda ratio est illa, quam tangit hic S. Th. in resp. ad 4. & expressius in 1. dist. 28. q. 1. a. 1. ad 4. & Caietanus super hoc artic. quoniam esse primum principium pertinet ad dignitatem & autoritatem Patris. Propter quam dicebat Hilarius auctoritate donantis patrem esse maiorem, & si non minor sit filius, cui vnum esse donatur, id est eadem diuinitatis essentia communicatur. Quam ob causam consuevit filius in Euangelio ad patrem vniuersa referre, & orationes ferè omnes ad patrem Ecclesia dirigit.

Non est autem eadem ratio de negatione generationis, quæ conuenit Spiritui S. & de negatione spirabilitatis seu spirationis passiuæ, quæ negatio conuenit Filio; cū hæc negationes nõ negent esse ab alio simpliciter, sed tm sit quid, atque ideo neutra pertinet ad dignitatem eius personæ cui conuenit. At ab alio non esse simpliciter & absolute, sed esse primū principium, à quo est omne procedens in natura diuina, magna dignitas est, & ideo ponitur innascibilitas patris notio. Quod etiam à sol. aliterum Spi- tacia a obi.

Obi. tacta
soluit.

Sol. aliterum
Spi- tacia a obi.

*Sol. alterius
facit obi.*

Spiritu S. nulla persona procedat, ad eius non at-
tinet dignitatem secundum nostrum modum in-
telligendi & enuncianti; quod ideo dixi; quia si-
cut à nullo esse conuenit patri ratione suae pro-
prietatis personalis, ita Spiritui S. ex eius perso-
nali proprietate congruit, ut nulla sit aut esse
possit ab eo persona. Igitur cum diuinæ personæ
dignitas sit essentia, eadem à parte rei loquendo
dignitas, quæ ut est proprietas, aut sub proprie-
tate patris, est ei ratio ut à nullo sit, erit etiam
Spiritui S. prout est sub eius proprietate ratio, ut
nulla procedat ab eo persona; sed tota diffe-
rentia posita est in modo nostro concipiendi, qui
dictam negationem in proprietate patris consti-
tutina fundatam, sub ratione dignitatis apprehen-
dimus; negationem autem originis actiue,
seu productionis in Spiritu S. non intelligimus
esse dignitatem. Nam in rebus humanis siue sensi-
bilibus ex quibus ad diuinam ascendimus, aut
ea per reuelationem cognita nominamus, ratio-
nem quidem primi principij in quolibet ordi-
ne concipimus ut dignitatem, & eadem ratione
negationem procedentis ab alio; sed negatio-
nem principij, siue productionis, ut scilicet ab
hoc supposito, siue persona nulla procedat alia,
nullius apprehendimus esse dignitatis.

*Facit obi.
Solut.*

Quam enim in separatis à materia & in corporibus
coelestibus, ex eorum videatur esse perfectione,
ut nulla sit in eis generatio, si de generatione, siue
naturæ communicatione loquamur, quæ fit ac-
tione transeunte; quod tamen absolute non ge-
nerent, ex eorum limitatione procedit. Nam
corporibus coelestibus actiones immanentes mi-
nimè congruunt; in Angelis autem per intelligere
& velle, cum accidentia sint, non potest ali-
quis intrinsecus terminus, qui sit substantia pro-
duci, sicut in Deo, sed accedens tantum scilicet
verbum & amor accidentaliter. Tertia ratio est D.
Aug. lib. 5. de Trinitate c. 8. nimirum varia connexio
patris & ingeni. Siquidem apud nos pater om-
nis est genitus, siue proprie ut quilibet homo
præter Adam: siue minus proprie, prout scilicet
genitum idem est quod productum siue causa-
tum, ut Adam, quem Deus creatione produxit.
Nullus est igitur in humana natura aut quouis
alio viuientium genere pater, qui simpliciter id
est omnibus modis appellari possit ingenuus: at
persona patris in diuinis, hæc habet duo sibi ne-
cessariò coniuncta, scilicet esse patrem, & esse o-
mnibus modis ingenuum. Porro filio conne-
xum est necessario semper inspirabile, & Spiritui
sancto innascibilis; Nam filius ex hoc ipso,
quod filius est procedens per modum intelle-
ctus ut verbum inspirabilis est, & ut talis à nobis
intelligitur: & Spiritus S. ex hoc ipso, quod per
actum voluntatis procedit ut amor & impulsus,
non procedit ut similis nec ut genitus: & ideo
nec inspirabilitas ponitur notio filij vel etiam
patris; ob similem causam, nec innascibilitas as-
seritur notio Spiritus S. neque enim explicant aliquid
speciale, quod non exprimitur sufficienter per
propria personarum constitutiva; neque
pertinet ad dignitatem. Quarta ratio est D. Hila-
rij in lib. de Synodis, quam refert S. D. in d. a. 4. ad 4.
quia scilicet per innascibilitatem patris vnitas di-
uine naturæ significatur; sicut enim necesse est in
quolibet genere constituere vnum aliquod pri-
mum, ita pariter oportet in diuina natura ponere
principium vnum non ab alio procedens, quod
ingeniti nomine designatur. Quamobrem qui
duos poneret innascibiles, duos hoc ipso Deos co-
stitueret, & duas naturas diuinas, quod etià ibidè
Hilar. affirmat dicens: Cum aut vnus Deus sit, duo

A innascibiles esse non possunt: Nam si duo essent
innascibiles, neuter eorum esset ab altero, & co-
sequenter nõ esset inter eos oppositio relatiua;
igitur necesse esset eos distingui naturæ differen-
tijs. Ob dicta igitur causam constituerunt sancti
Patres & Doctores innascibilitatem propriam
notionem patris. Postrema ratio Suar. est; quia
negationes alijs personis congruentes conse-
quuntur origines & relationes, & ad eundem
pertinet intellectum siue conceptione, qua con-
cipiuntur à nobis origines & relationes, ac pro-
inde cum illis non ponunt in numerum; sed hæc
ratio non differt à tertia, ut perspicue patet in-
tuenti.

B PRIMA CONCL. Actus notionales actiue vel
passiue sumpti non sunt notiones. Probatur; quia non
significantur ut formæ, sed ut operationes à
personis vel ad personas.

*Conclusio.
nes dedu-
tæ, & pre-
bata.*

SECUNDA CONCL. Ratio verbi & imaginis in
filio, & domini in spiritu S. non sunt speciales notiones.
Hec est D. Th. in 1. dist. 17. q. 1. a. 1. ad 4. cuius ratio-
nem assignat dicens: Verbum & filius non distinguun-
tur differentia relationis; quia vtrumque dicit re-
lationem eiusdem ad idem; & propter hoc non impor-
tantur nomine verbi, & filij duæ relationes, sed vnæ,
similiter nomine domini & amoris, sed distinguuntur
tantum, secundum quod habent fundamentum in re.
Pro ut vnum fundatur in emanatione naturæ, scilicet
filius, & aliud in emanatione intellectus, scilicet ver-
bum, quæ in Deo non nisi ratione differunt; & ideo ver-
bum & filius differunt solum ratione, & non relati-
one. Sed ingenuus & pater non respectu eiusdem di-
cuntur & sed constat, quod non sunt vna relatio, vel
notio. Hæc D. Tho. Alias rationes minus solidas
reddidit V. a. q. 5.

TERTIA CONCL. Esse ab alio quod est commune
filio & spiritui S. non est eorum notio, neque inspirabi-
litas quæ patri conuenit & filio, est eorum notio, sicut,
neque innascibilitas stricte sumpta est notio spiritus S.
Probatur; quia notio dicit aliquid speciale, non
autem commune secundum rationem pluribus;
constat autem ex dictis singula prædicta pluri-
bus esse communia secundum rationem. De-
inde nihil prædictorum pertinet ad dignita-
tem.

QUARTA CONCL. Innascibilitas siue esse in-
genitum est mera negatio, & propria est notio patris.
Huius conclusionis explicatio & probatio habe-
tur ex dictis.

POSTREMA CONCL. quæ est D. Tho. in
littera, & sequitur ex prædictis. Notiones diuine
sunt tantum quinque, adeò ut plures esse non possint:
cuius oppositum affirmat Torres in tertio suo di-
cto. An autem sit error in fide, aut temeritas præ-
dictum numerum augere, aut etiam minuire, di-
cemus cum D. Th. a. seq.

CONTRA primam concl. sunt argum. quæ re-
ferunt & solunt Ban. Zumel. & alij.

*Argumen-
ta, & solu-
tiones.*

CONTRA secundam conclusionem est argu-
mentum quarum D. Tho. in 1. dist. 27. q. 1. a. 1.
ab eo solutum, quod potest formari contra hanc
conclusionem, sed eadem responsione soluitur,
quam paulò ante retulimus.

CONTRA tertiam concl. quoad secundam
eius partem scilicet inspirabilitatem, non pro-
cedit nisi argumentum Scoti desumptum à si-
mili scilicet innascibilitate, quam esse longè dif-
f similem in multis ostendimus.

CONTRA quartam concl. quoad priorem
eius partem, sunt argumenta Aureoli & Rada,
quæ refert & soluit Cap. in dicta 28. dist. q. 1. & Ia-
uellus super hoc art.

CON-

Ob. 1. cont.
4. Concl.

Contra eandem partem argu. Vasq. Primò. A Basili. lib. 4. contra Eunomium parum à principio sic ait: Quare innascibilitas substantie modus, non substantie (id est essentie) nomen est. Cyril. li. 1. Theauri ca. 4. circa finem ita loquitur. Et nomine ingenti, non substantiam (hoc est essentiam) sed modum, quo Deus est significare volumus. & Damascenus lib. 1. de fide cap. 9. sic ait: Vox ingentis, nec natura discrimen, nec dignitatem, atque auctoritatem (qua scilicet pater filio antecellat) sed existentis modum indicat: Ergo nomen ingenti positum aliquam rationem significat. Resp. nullam esse consequ. negationem namque modus quidam est substantie negatiuus. Secundò dico, innascibilitatem non significare modum positum formaliter aut materialiter in trinfecè, sed illum connotare seu indicare tantum ut fundamentum. Tertiò illam indicare personam patris sub ratione primi principij, & hic est modus de quo loquuntur SS. Patres prædicti.

Obi. 2.

Secundò. Ut aliquid habeat rationem notionis, necesse est illud ad dignitatem, hoc est ad perfectionem persone pertinere; at negatio nullam tribuit dignitatem; Ergo innascibilitas, quæ notio est, non est pura negatio. Resp. notionem positam esse innotescendi gratia, ac proinde illud omne, quo specialiter persone dignitas innotescit siue sit affirmatiue significatū, siue negatiue, aut potius sit mera negatio, ad notionem pertinet numerum; Iam autem ostendimus negationem illam, quam significat innascibilitas, rationem esse specialem cognoscendi personam patris & eius dignitatem: immò secundum nostrum modum intelligendi, ad maximam dignitatem patris pertinere; quia scilicet carere principio sui productiuo, summa dignitas est vel conditio saltem sine qua non esset in patre summa dignitas.

Alia obiectiones.
Prima.

Deinde argumentatur contra rationes Caietani, & SS. Patrum. Primò. Nisi per negationem conciperemus aliquam positum rationem principij, sequeretur ipsam solam negationem inter notiones persone non esse numerandam; Ergo debebat ostendere Cai. quomodo id quod per innascibilitatem concipimus, sit distinctum positum ab alijs notionibus, nostro modo intelligendi. Resp. assumptam propositionem esse falsam, ob rationem paulò ante dictam. Secundò dico per innascibilitatem à nobis cognosci vniuersalem patris auctoritatem & fontalem plenitudinem, non ut clausam in intellectu innascibilitatis, sed ut connotatā tanquam fundamentum. Tertiò dico per eandem cognosci personam patris in ratione primi principij, quæ optimè cognoscitur per negationem.

Secunda.

Secundò. Nihil refert innascibilitatem esse negationem peculiarem in patre æterno, & eam in alijs patribus creatis non reperiri, ad hoc ut sit peculiaris notio patris æterni; Ergo &c. Probatur antecedens; quia si non inueniatur aliquid positum speciale, quod negatione illa innotescat, non debet specialis notio constitui. Resp. falsum esse antecedens. Ad probationem dico satis esse ea negatione personam patris innotescere, quatenus ab alio non est, nec requiri, ut aliquid speciale positum in patre per eam cognoscamus.

Tertia.
Solus.

Tertiò. Ratio, quam Cai. affert ex Hilario parum habet momenti. Ergo &c. Resp. falsum esse antecedens, & modestia Theologi Doctoris indignum. Iam enim ostendimus rationem illam multum habere momenti. Quod autem attinet ad illud positum, quod affirmat Vasq. per

nomen innascibilis significari, in ar. 4. sequentis examinetur.

Quartò contra eandem rationem, Si idè innascibilitas est notio, quia denotat aliquam patris dignitatem seu auctoritatem, sequitur eam non esse notionem ratione negationis, sed ratione positivæ dignitatis, quam indicat. Probatur sequela; quia nulla negatio ut negatio, potest esse dignitas alicuius aut perfectio, tamen negatione aliquando perfectionem positivam significemus.

Resp. nullam esse consequ. Ad probationem dico, licet negatio per se præcisè non sit dignitas, requiri tamen ad patris dignitatem necessariò, & ex ea cognosci patrem speciali modo, & hoc satis est ut sit notio. Nec tamen sequitur inspirabilitatem esse notionem; quia per eam quoquo modo cognoscimus secundam personam, ut deducit Vasquez: nam inspirabilitas neque ad dignitatem attinet filij, nec specialem affert rationem cognoscendi; nam hoc ipso, quod filius est, inspirabilis est.

Cetera quæ ex eiusdem expositoris discursu militare possent contra propositam Sanctorum & D. Tho. doctrinam, eadem per spicua fugantur luce veritatis.

CONTRA ultimam conclus. argum. Torres & Zum. Plures rationes, affirmationes & negationes sunt in Deo, ad quas exprimendas sancti plura nomina abstracta imponere potuerunt; Ergo plures esse notiones potuerunt, quam quinque. Resp. nullam esse consequ. ob ea, quæ supra latè diximus de ceteris negationibus & affirmationibus, quibus omnibus & singulis ostendimus deesse conditionem aliquam necessariam ad notionem.

Obi. cont.
vis. concl.

ARTICVLVS IV.

Utrum liceat contrariè opinari de notionibus.

AD Quartum sic proceditur. Videtur, quod non liceat contrariè opinari de notionibus. Dicit enim Aug. in 1. de Trin. quod non erratur alicubi periculosius, quam in materia Trinitatis, ad quam certum est, notiones pertinere. Sed contrariè opiniones non possunt esse absque errore. Ergo contrariè opinari circa notiones non licet.

2. Præterea. Per notiones cognoscuntur persone ut dictum est. Sed circa personas non licet contrariè opinari. Ergo nec circa notiones.

Sed contra. Articuli fidei non sunt de notionibus. Ergo circa notiones licet sic, vel aliter opinari.

Respondeo. Dicendum, quod ad fidem pertinet aliquid dupliciter. Vno modo directè, sicut ea quæ nobis sunt principaliter diuinitus tradita, ut Deum esse trinum, & vnum, filium Dei esse incarnatum, & huiusmodi. Et circa hæc opinari falsum, hoc ipso inducit hæresim: maxime si pertinacia adiungatur. Indirectè verò ad fidem pertinent ea, ex quibus consequitur aliquid contrarium fidei. Sicut si quis diceret, Samuelem non fuisse filium Helcanæ, ex hoc enim sequitur, Scripturam diuinam esse falsam.

Circa huiusmodi ergo, absq. periculo hæresis, aliquis falsum potest opinari, antequam consideretur, vel determinatum sit, quod ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei, & maxime si non pertinaciter adhareat. Sed postquam manifestum est, & præcipue si sit per Ecclesiam determinatum, quod ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei, in hoc errare, non esset absq. hæresis. Et propter hoc, multi nunc reputantur hæretici, qui prius non reputabantur propter hoc, quod nunc est magis manifestum quid ex eis sequatur. Sic igitur dicendum est, quod circa notiones aliqui absque periculo hæresis, contrariè sunt opinati, non inten-

184.
1. dist. 33. q. 5.
Lia de tri.
c. 3. 10. 3.

Art. præc.

E

inten-